EVTHYPHRONIS

PHILOSOPHI ET MEDICI,

DE NOVA

CVRANDORVM MORBORVM

RATIONE

PER

TRANSFVSIONEM SANGVINIS,

DISSERTATIO,

AD AMICVM.

PARISIIS,
Ex Officinâ ANDREÆ CRAMOISY, viâ Iacobæâ,
ſub Sacrificio Abrahami.

MDCLXVII.

CVM PERMISSV.

PALAIOPHILVS
EVTHYPHRONI SVO. S.

N*OVISSIMIS annis, uti tenes, mi* EUTHYPHRON, *ex Anglia nobis afflarat nescio quid rumoris de via quadam & ratione transvasandi sanguinis à venis ad venas, unius in alterum Animantis: Ita videlicet, ut eo qui suggereret, labascente atque occumbente ab exhausto, suscipiens alius constaret & vigeret. Mirum planè inventum, & unde sit quod veteribus imputemus, si aditum haberet. Sed cùm non nisi cum damno Naturæ, tantùm abest ut commodo, præstari posse certum sit. Crediderim facile hoc, Authorem(* Tros Rutulusve fuat *) suscepisse, aut sanguinis κυκλήσεως in animali, post Galenum olim, & nostro Ævo, Harveium, confirmandæ id fecisse: aut saltem, ne nihil nempe, non videretur agere, vitioque ut solet, humani ingenii omnia scire cupientis exquirentisque. Invenit tamen apud nos, & facilem ac plurimam fidem: Adeo curiosis & promptis iam plena est Gallia Philosophis. ac πειραστικοῖς cruentis, se sibi iuxta cum credulis, frustratui habentibus. Sed quid dico Philosophis? etiam & Medicis: non Dogmaticis quidem illis, Rationalibusve ac doctis, quales nimirum libro singulari designat Galenus: Sed Logiatris & Erasistrateis, addam, & παραλογισταῖς, atque semestribus Thessaleis. Hujus dicti argumentum luculentum, temerè profudit nudius-tertius quidam Philosophus Epistolâ grandi, quâ velut Dictator aliquis, vel*

potiùs Ἰατρονίκης, *ea quæ propriè Medicorum sunt, protervè*

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Vt profectò cùm effrenem istius disputandi modum ipse mecum perpenderem, mihi videre viderer Phormionem aliquem revocatum ad vitam, & de arte medica, quam ne de nomine quidem se novisse apparet, coram Hippocrate: velut olim Peripateticus ille de re militari, coram Hannibale, differentem confidentissimè. Sed apud te, Vir eruditissime mihique carissime, comprimo meac ὑπόβασιν *illam ad te mitto, nec enim vacat respondere, ac Thessalum istum Cartesianum, & experientem philosophum, acri maximè ac condigno sale defricare. Vide modò, ac, ni grave sit, perlege, quamque super ea opinionem indueris, nobis renuntia. Vale, Paris.* V. *Eid. Iulii* M. DC. LXVII.

LECTORI.

Monendus es, LECTOR, hanc scriptionem perfectam fuisse priùs quàm quicquam adversus Transfusionem in lucem prodiret; sed cùm, Auctore non curante, subjecta prælo esset, ibi nescio quomodo ad hanc usque diem moras traxisse. Hoc te volebam.

ERRATA.

Pag. 20. *lin.* 16. impetum & calcar addatur, *scribe* impetus.
Pag. 24. *lin.* 7. singularium, *scribe* singularum.

EVTHYPHRONIS PHILOSOPHI ET MEDICI,

DE NOVA CVRANDORVM morborum ratione per transfusionem sanguinis,

DISSERTATIO,

AD AMICVM.

QUÆRIS à me, Vir amicissime, quid sentiam de illâ novâ ratione curandi morbos per transfusionem sanguinis : quâ scilicet ex venâ aut arteriâ unius animalis, sanguis in alterius sive specie, sive numero tantùm differentis venas trajicitur. Num videlicet nova hæc medendi industria satis rationi & receptis pridem Medicinæ principiis consentiat. Primùm de consilio eorum qui talia meditantur & inquirunt, est quod gratulemur nobis, quicunque sciendi cupiditate ducimur, quòd in ea tempora incidimus, quibus pulcherrimæ Artes non

modò reviviſcunt, ſed etiam novis ſubinde inventis efflorescunt. In quo eſt hominum noſtrorum in primis laudanda induſtria, qui propoſito velut certamine, quis plura & meliora excogitet, ſcientiarum pomœria dilatare non ceſſant; nullis vigiliis aut laboribus parcunt, dum aliquid humano generi profuturum extundant. Verùm hujus laudis præcipuam partem ſibi LUDOVICUS ADEODATUS Rex noſter invictiſſimus ſuo jure arrogare poteſt, qui ſuâ bonitate & munificentiâ hominibus ſtudioſis hæc otia fecit. Hic & enim unus poſt hominum memoriam repertus eſt, qui omnes belli & pacis artes providentiâ complecteretur, tam rerum honeſtarum fautor benignus, quàm potens hoſtium debellator, nec minori gloriæ ducens Gallici ingenii terminos promoviſſe quàm Imperii. Sed de tanti Heroïs virtutibus dicendi opportunior dabitur locus. Ad illum venio, qui nobis ſingulari epiſtolâ prædictæ ſanguinis transfuſionis rationem atque uſum expoſuit, virum cùm ipſo propoſito laudandum, tum in primis illâ æquanimitate, quâ ſuum illud conſilium viris doctis penſandum proponit. In quorum numerum an ſim adſcribendus, alios malim judicare. Cùm tamen in ſtudiis medicis excolendis non parum temporis inſumpſerim, & hujus item profeſſionis, ſi quid id ad rem pertinet, auctoritatem & inſignia adeptus fuerim, ſi id mihi aſſumo, ut meam de illâ quæſtione ad Medicinam pertinente ſententiam proferam, videor id meo jure vendicare: præſertim cùm tu à me eam operam requiras, cujus voluntati in omnibus non obtemperare, nefas duco.

33

Præterea cùm vir ille ſtudioſus faciendum putaverit, ut Eruditorum ſuper arte nondum ſatis experimentis conſtitutâ ſententias colligeret, eorum rationes eâdem chartâ diſpungeret, quibus ſolvendis ſuam conjecturam magis ac magis confirmaret, facilè in animum induco, hunc non modò ægrè non laturum, ſi quis ipſi novas difficultates nec minoris fortaſſe momenti ad examinandum proponat, ſed etiam libenti animo & pronis auribus accepturum. Sed fas ſit & nobis rationes quibus ipſe novam illam curandi methodum commendat, conſiderare diligentiùs: juvat enim primas tantæ diſciplinæ notiones atque elementa ſpectare, quibus primùm radiis nova lux illa animis hominum ſe infuderit. Tum mos eſt magnorum Philoſophorum quorum veſtigia inſequimur, ab Adverſariorum dictis facere auſpicium ſuarum diſceptationum; ea, inquam, habere velut ingenii incitabulum & incentivum. Ita enim Ariſtoteles & alia ſcientiarum lumina.

Sunt autem quatuor fermè argumenta, quibus novo inſtituto patrocinatur: primum ducitur à Naturæ ſectâ, ex cujus imitatione artes proficiſcuntur. Hanc etenim nobis prædictæ transfuſionis exemplum haud obſcurum proponere, quæ fœtui adhuc maternis latebris incluſo ſimili induſtriâ per umbilici venas ſubvenit, è corpore matris ſpiritum & ſanguinem ſubmittens, quo omnes ejus partes rigentur & creſcant. Si igitur Natura ſic immaturos fœtus alit, quidni & nos jam in lucem editis, jam adultis, immo verò jam decrepitis, ſi ita neceſſitas cogat, hâc ipsâ ratione feramus auxilium? Parùm in his referre quod inter diſſimilis na-

turæ corpora transfusio agitur, cùm eadem sit fœtûs & materni corporis substantia, naturalisque σύμφυσις. quippe nec fœtum semper ita matri similem nasci; quin haud rarò ex paterni seminis victoriâ valde dissimilem ei indolem & temperamentum sortiatur.

Alterum argumentum Naturæ ipsius castigatio est. Quidni? quæ animalia alat per multas ambages, longumque tractum coctionum & mutationum. Harum omnium compendium esse transfusionem, quæ statim in venas succum elaboratum, minimeque superfluis inquinatum transmittit. Id verò quàm sit expetendum iis præsertim qui ventriculum & alia generandis succis dicata instrumenta minùs probè temperata habent, omnibus esse manifestum.

Præterea omnes morbos sanguinis quà intemperie quà vitio propagari, communi esse omnium Medicorum suffragio ratum atque constitutum, idque manifestis etiam eorum operibus cognosci, qui sanguinem aut sectâ venâ, cùm videlicet impurus est, detrahant, aut potulentis intemperatum corrigant. Verùm illis tamen præsidiis hæc incommoda intercedere, quòd dum sanguinis labes educitur, vires minuuntur, pessimâ ægrorum vice, qui sæpe hâc licentiâ sanguinis mittendi, ex rapidis febribus in languores atque hydropes immedicabiles præcipitantur. Tum potiones quæ ad refrigerandum præscribi solent, aut partium quas prælabantur colluvie inquinari, vel certè eas partes liquorum ejusmodi qualitatibus atque fermentis vitiari, & cruditatibus opportunas reddi. Solam sanguinis transfusionem omni ex parte beatam omnium offensio-

num causas vitare; hanc unam variis Medicorum sectis satisfacere: iis quidem qui venæ sectionem frequentant, quòd & ipsa veterem sanguinem educit, priusquam novum infundat: iis autem qui sanguinem parciore manu mittunt, ægrorum viribus metuentes, quòd novo sanguine in locum ejus qui eductus est, succenturiato, nulla virium jactura pertimescenda sit.

Postremò hominum partim hæmorrhagiis, quarum cursus sisti non potest, extingui, partim ex virium defectu & sanguinis inopiâ ante annos senescere. His si sanguis laudabilis transfundatur, periculum depelli, aliis vitam novo subsidio prorogari posse. Quin esse quòd fructum aliquem ex eâ operatione speremus, in iis saltem morbis quos maligna sanguinis qualitas adducit. Quod genus sunt pleuritides, variolæ, cancri, ulcera, erysipelata, rabies, furores. Verùm de successu qualis futurus sit, solis experimentis quæ deinceps capienda sint, ad liquidum cognosci posse. His fermè ille novæ opis monstrator nondum compertæ veritati viam munit, futurisque experimentis præludit, jucundâ interim spe eos recreans, quæ ut certa sit, neque ad irritum cadat, equidem opto. Sed tamen quid nocebit, dum res adhuc in incerto est, de tali remedii genere quid sperandum sit, disputare, & quod in deliberationibus fieri assolet, rationes rationibus contendere, ne quid temere suscipiatur. Hâc mente hocque consilio præfatas optimi viri conjecturas cum bonâ ejus veniâ expendam, measque insuper ad novam ejus methodum dubitationes proponam.

Principiò quòd nos sanguinis ab uno in aliud ani-

mal transfundendi exemplum habere autumat in fœtu in utero matris latente, Naturâ nobis viam monstrante quà incedamus, satis plausibile ad vulgi captum videri possit, non autem ut eorum assensum mereatur, qui res naturales propiùs inspectant. Duobus enim modis exemplum accipi potest, vel quo aliquid esse confirmetur; ut si quis neget occultas qualitates dari, convincetur exemplo Magnetis ferrum trahentis, tum aliorum quæ res certas ad se proprietate attrahunt; si quis item aliquid esse quod ignibus resistat, Salamandræ fossilis, hoc est Amianti lapidis exemplo pugnabimus: & ita de aliis Naturæ arcanis, quorum veritas exemplis atque observationibus constituitur. Idque exempli genus speculativum dici potest, utpote quod in usum & confirmationem solius speculationis affertur. Alterum genus exempli est, quod proponitur nobis ad imitationem, ut cùm pictori aliquid effingendum proponitur, cùmque nobis bonorum virorum facta laudantur.

Priore modo, fateor, exemplum transfusi sanguinis habemus in embryone, videlicet ut sciamus inter opera Naturæ esse transfusionem, non autem ut imitemur. Nam quomodo nobis Natura auctor, magistra, dux talis operationis dici potest? quæ contrà non debere nec posse transferri ad animalia jam in lucem edita aut adulta, id quod in immaturis & nondum natis molitur, tam luculentis exemplis & documentis indicat. Cur enim os animalibus ad cibos capiendos diducit? cur dentibus armat? cur alias partes molita, gulam, ventriculum, intestina, venas mesaraïcas, & nuperâ observatione proditum chyli conce-

ptaculum & ductum? (quas omnes partes coquendis alimentis, elutriandis, atque deducendis ab ore in habitum corporis, creatas conſtat) cur, inquam, tot varia coctionum & digeſtionum inſtrumenta conformat, ſi in adultis animalibus transfundi ſanguinem ſtatuit? An non is Naturæ ordo, hæc architectatio planè cum transfuſione ſanguinis pugnat? Non ergo ſi ſanguinem fœtui à matre transfundit, exemplum eſt quod imitari debeamus; ſed immaturo fœtui proprium ſubſidium qui aliter nutriri non poterat. Quòd enim venis & arteriis ceu radicibus matri fœtum applicari atque adhæreſcere oportebat, ut per plures menſes geſtari poſſet, fecit Natura compendii amans, iiſdem ut venis & applicaretur, & alimentum traheret more plantarum, quæ iiſdem radicibus & terræ affiguntur, & humorem indidem ſuſcipiunt. Quippe incluſum utero animal vitam propemodum plantæ vivere certum eſt. Quo vana conjectatio apparet, quam Hippocrates velut ludens animi exercendi causâ propoſuit in lib. περὶ σαρκῶν, puerum in utero compreſſis labris ex matris utero alimoniam ſugere. At idem lib. περὶ παιδίου res accuratiùs ſuo more expendens, obſtetrices ſtatim nato infanti umbilicum ligare ait, tanquam non ampliùs fœtui alendo neceſſarium, ſimul ipſius os laxare, ut alius ſumendi alimenti uſus monſtretur.

Ex quo intelligitur aliam eſſe ſumendi alimenti legem embryonibus poſitam, aliam in lucem editis & adultis: neque quod illis convenit, ad hæc transferri oportere, tantùm abeſt ut Natura unum alterius exemplum fecerit. Accedit quòd hîc ſanguis alienus

infunditur, illic maternus fœtui omnino familiaris & ὁμοιόφυτος, utpote qui ex eodem sanguine materno concrevit. Nec verò si humor paternus in generatione prævaleat materno, quâ adversarius hypothesi evadere conatur, tam dissimilem matri prolem facere possit, quàm homini discrepat vituli aut agni natura à quibus sanguis sumitur.

In quo quidem non exilis mihi exoritur dubitandi ratio, quemadmodum corpori humano benefacere possit sanguis pecuinus statim venis infusus, non priùs à calore nostro domitus, hoc est per varias coctiones nobis familiaris redditus, & tanquam civitate corporis nostri donatus, vel etiam adoptatus. Nam, si ut sacris Literis proditum est, *anima omnis carnis in sanguine est*; si ut primates Philosophi volunt, & pro certo habetur, sanguis alimentum est ultimum quo partes omnes corporis reficiuntur; si partis cujusque alendæ ideam proprietates induit; si ex ipso semen vim illam speciei propagandæ mutuatur, quæ communis Philosophorum sententia est, cui non suspectum, immo indignum videatur, sanguinem bruti animalis tam nobis dissimilis adhuc spirantem, atque ut ita dicam, anima sua vigentem, certè belluini corporis ideam, indolem, vires, proprietates gerentem, nostris statim infundi corporibus, nullaque præparatione antegressâ præcordiis nostris impingi?

Enimverò Marsilius ille Ficinus qui princeps ut opinor, senilem maciem viventis sanguine refovere instituit; non tamen ad id belluas commendavit, sed Adolescentem vegetum & sanum, tametsi sanguinem

nem venis non infundebat, ſed oris ſuctu & brachio paululum inciſo hirudinum more eliciendum cenſebat. 33

Non abs re autem fuerit, quando nobis Naturam modò ſanguinis transfundendi auctorem faciebat, viciſſim ipſi exemplum ab ipſa plantarum naturâ proponere, quo intelligat, quàm ſit diverſa in rebus diverſæ ſpeciei ſuccorum indoles & poteſtas, & quanta inde corporibus mutatio accidat. Velim igitur mecum conſideret, quid accidat iis ſurculis, quos alienis arboribus Agricolæ inſerunt; ut fructus inde proveniens alieni ſucci influxu degeneret, formamque ac ſaporem mutet. Si enim mali ſurculus pyro indatur, naſcuntur mala figuram pyri æmulantia & ſaporem: ſi pyri ſurculus malo, pyra mali formam & qualitates referentia. Vnde hoc, niſi quia ſuccus unius arboris in aliam transfunditur? Atqui non magis hæc vel illa arbor ab aliâ, quàm pecus ab homine diſſidet. Si ergo pyri ſuccus mali ſurculo influens poma ejus tam inſigniter mutat, quis poteſt dubitare, quin ſanguis ab uno animali in alterius venas transfluens, eandem vim habeat ſaltem mores mutandi, indolemque ejus animalis cui accedit?

Ex quo etiam intelligitur quid futurum ſit, ſi ſpecie inſtaurandarum virium multum ſanguinis agnini aut vitulini in hominis venas derivetur; nempe ut is homo, ſi non aliud incommodi capiat, ſaltem animum belluinum &, quod in proverbium abiit, προβάτειον ἦθος, hoc eſt, ſtolidum illud pecudis ingenium induat. Ne quis porrò ſanguinis alieni vim ad mores immu-

tandos magis conjecturâ asseri, quàm experimentis
De venenis cap. 10. putet, Guaynerius inter Medicos practicos non incelebris testatur sanguinem ab homine rufo dum irâ fervet, extractum, ejus qui biberit, mentem furore maximo turbare, corpus etiam inde haud secus ac malis venenis contabescere, & tandem marasmo consumi. Quæ si sanguinis humani epoti vis est, quid tandem fore putamus, si sanguis alterius generis, non quidem sorbeatur, quod aliquanto tolerabilius esset, sed statim calens in venas transfundatur?

Præterea nihil crudum citra noxam venis infundi posse palam est. At sanguinem illum sive agni, sive vituli, crudum esse contendo. Quid est enim cruditas in alimentis, nisi diversitas? Idcirco enim alimenta coquuntur, ut similia & familiaria reddantur, hoc est ut diversitas illa, quam à propriâ specie habent, tollatur. Quis porrò dubitat, quin sanguis pecuinus à nostri sanguinis naturâ plurimùm distet? quantùm profectò pecus ab homine. Ergo crudus est, immo crudissimus respectu nostro is sanguis, quippe naturâ, indole, proprietate dissimilis. Nisi fortè tam ignavi sumus, ut quia idem sanguinis belluini atque humani color est, eandem utriusque esse vim & conditionem credamus. Quocirca si sanguinis agnini aut vitulini aliqua vis esset ad morbos curandos, non tamen venis infundi, sed per consuetas alimentorum vias transmitti oporteret, Alioqui non sanguinem tantùm, sed & plantarum succos, & juscula, & vinum venis incisis infundi præstaret; quod nunquam prudens Medicus, sat scio, probabit, ac ne illi ipsi transfundendi sanguinis auctores.

Confirmatur hæc ratio Hippocratis ſummi omnium Medicorum Dictatoris auctoritate, cujus ſententia hæc extat in 6. Epidem. ἡ κοιλίης νάρκωσις, ἡ τῶν ἄλλων σύγχυσις, τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσίη. *Ventris torporem, omnium confuſio, vaſorumque impuritas ſequitur.* Quo dicto docet ſummus Medicinæ Parens non poſſe quicquam in venis ſincerum & probum reperiri, quod non priùs per ventriculum tranſierit, ejuſque vi percoctum fuerit. Igitur ſanguinis transfuſio quæ ventriculum ceu exauctoratum, rude donatum, atque emeritum miſſum facit, quid aliud quàm impuritatibus vaſa conſpurcat, dum ſanguinem haud noſtri generis, atque adeò crudum venis inculcat? Quid enim refert alimenta in ventriculum torpentem incidant, an in ventriculum validum omnino non demittantur, ſed ſtatim in venas agantur?

Sed inſtabunt, ſcio, nec noſtri reſpectu crudum eſſe ſanguinem pecudis. Nihil enim intereſſe, is ſanguis quo membra noſtra rigantur, quo in corpore quibus viſceribus coquatur, pecudis an hominis, quandoquidem eadem habentur in pecude & homine inſtrumenta coctionis: proinde non poſſe crudum dici humorem, quem beſtia elaboraverit. At enimverò hæc inſtantia rem falſam ponit, eadem eſſe omnino inſtrumenta coctionis in homine & belluâ. Vt enim aliis rebus congruant, figurâ videlicet aut colore, certè nativâ conſtitutione & temperamento, cujus præcipuum in coctionibus obeundis momentum pugnent, neceſſe eſt. Nam quis neſcit varia eſſe, variis ſpeciebus animalium, temperamenta & proprietates? Id cùm ita eſſe conſtet, nullo modo exiſtimandum eſt in tantâ naturarum diſ-

parilitate ita ad amuſſim temperamenta partium quadrare poſſe, ut in iis ad eandem formam ſanguis coqui poſſit. Enimverò illi ipſi dant manus, tot eſſe ſanguinis qualitates & differentias, quot ſunt animalium ſpecies, immo individua. Verùm exinde negant ſequi unius animalis ſanguinem alterius venis infuſum, cui animali accedit, noxam inferre; quia iſto modo, inquiunt, oporteret iis quoque cibis quibus alimur, ſanguinem & naturam noſtram offendi, utpote quorum qualitates à noſtris tantopere diſſideant. Sed non vident diſparitatem? Nam illa quibus veſcimur, licèt alienis qualitatibus prædita, non lædunt, quia multis modis à noſtro ventriculo & aliis membris ſubiguntur atque mutantur, priuſquam in noſtras venas & corporis habitum perveniant: at ejus ſanguinis qui ſtatim venis infunditur, alienæ qualitates quo pacto emendentur, non video: ſemel enim in venas tranſmiſſus, illico ad ipſas corporis partes alendas trahatur, neceſſe eſt.

Quòd ſi quis poſtea coloris ſimilitudine inductus, qualitates quibus pecuinus ſanguis ab humano diſcrepat, ſubeſſe ullas non credit, ut ſunt quidam ſenſibus belluinum in modum addicti, næ ille parum ſtudii in rerum naturalium contemplatione poſuiſſe deprehendetur, qui neſciat ſub eodem colore latere multa rerum diſcrimina præter ipſum etiam temperamentum, quod ſæpe eâdem tincturâ infectis diſſimillimum eſt. Eſt quædam diſſociatio corporum à temperamento differens, quâ fit ut quædam nullo modo componi poſſint. Mitto oleum quod liquoribus aliis innatare etiam

Lixis notum est, quod ejus densitati tribuit Plutarchus, ego peculiari mistionis modo & formæ. Quis non miretur quædam oleosa aliis pinguibus ita adversari, ut iis se se nunquam misceri patiantur? Ejusmodi Balænæ oleum est, quod si sebo concorporare studeas, oleum quod aiunt, & operam perdideris. Sed & Polybius vini quoddam genus in Capua nasci memorat διάφορον καὶ ἀναδενδρίτην cognominatum, quòd cum nullo alio coïre possit. Tum verò quod ad hanc rem quam agimus, magis pertinet, in avium genere Anthi & Ægithi sanguinem in fœdus mistionis non posse convenire proditum ab Aristotele est in historiis animalium. Verba ejus proferre placet: λέγεται δὲ ὅτι αἰγίθου καὶ ἄνθου αἷμα οὐ συμμίσγεται ἀλλήλοις. Hujus & meminit Ælianus in libris de animalium natura: tametsi pro ἄνθου, ἀκάνθου ibi scriptum est errore, opinor, Librarii: λέγεται δὲ Ἀριστοτέλης ἐὰν τοῦδε τοῦ ἀκάνθου καὶ μέντοι τοῦ καλουμένου αἰγίθου τὸ αἷμα εἰς ταὐτὸν ἀγγεῖόν τις ἀναμίξῃ καὶ κεράσαι θελήσῃ, τάδε μὴ συνιέναι, μηδ' ἑνοῦσθαι εἰς μίαν κρᾶσιν. *Quòd si, inquit Aristoteles, Spini & Ægithi sanguinem in eodem vase permisceas, & simul temperes, non coïre nec commisceri possunt.* Quis scit porrò an non eadem lex omnium animalium sanguini dicta sit, ut nunquam coëant? Atqui si sanguis ille qui transfunditur, cum alio non plenè miscetur, non quicquam boni ex iis Natura conficiet. Pugnabunt enim inter se; pugnantes tumultum & corruptelam in massâ sanguinis dabunt. Sed fac pulcrè inter se commisceri, quis tamen occultum in iis naturæ dissensum, quem Græci ἀντιπάθειαν vocant, præstare potest? Experientia, inquis, dabit existimandi copiam. At grave

In Sympos. 341

eſt intra venas atque ipſamet vitæ penetralia alimentorum vel medicamentorum periculum facere : & ſunt quarumdam rerum diſſidia tam obſcura, ut quæ ex iis manat peſtis, cui cauſæ aſſignes, neſcias. Sic ſunt venena illa lenta, quæ homines occulto ævo, nec niſi plurium menſium aut annorum tractu conſumunt. Has ſuſpiciones omnes & metus amolitur ventriculi coctio, aliarumque partium quibus immoratur chylus antequam ex eo ſanguis gignatur. Neque enim hic liquat tantùm, aut ſeparat, ut Scioli perperam ſibi perſuadent; ſed & ſpeciem chylo imponit, cui ita omnes alimentorum qualitates ſubjiciuntur, ut niſi admodum contrariæ corpori exiſtant & prorſus indomitæ, nunquam poſſint quandiu manet chylus aut ſanguis ex eo genitus, in actum erumpere.

Proinde rideo cùm eos jactare audio ſe ſe iter brevius in venas patefeciſſe; quod alterum ſtudioſi illius Viri argumentum eſt. Egregium me hercule compendium, quem Natura ordinem poſuit coctionum atque digeſtionum ceu minimè neceſſarium, & ſolùm ad pompam inventum, immo fortuitum præterire, ut ſtatim alimentum in venas tranſiliat. Apageſis hanc deſulturam, quæ Naturæ leges violat, ordinem perturbat, providentiam tollit. Enimverò non ſi quod brevius eſt iter, protinus ineundum; ſed ſi æquè commodum eſt & tutum. Quid enim ſi quis è cubiculo in publicum prodire volens, è feneſtrâ ſe præcipitem det? ſanè citiùs ſic foras deſcendat, quàm per ſcalarum ambages: tamen iſtud non magis viæ quàm mortis compendium ſolis inſanis aut deſperatis pla-

cere poteſt. Omnino hic ordo quem Natura alimentis præſcripſit, ut priuſquam in venas corporiſque habitum penetrent, in ventriculo coquantur, in inteſtinis expurgentur, eoque modo familiarem corpori noſtro qualitatem ſuſcipiant, iſtos novi itineris præmonſtratores admonere debuit, non poſſe à ſanguinis tranſfuſione boni quicquam ſperari, utpote quæ Naturæ inſtituto tam palam adverſetur. Non quòd Ars interdum non ea moliatur, quæ Natura facere non poteſt; ſed quia ſancitum à Naturâ ordinem vix unquam impune Ars tranſgreditur. Niſi enim imitatur Naturam, ejuſque leges ſequitur, nunquam ei quicquam proſperè cedet. Venas in morbis ſcalpello tundimus ad ſanguinem vacuandum; hoc non facit Natura, ſed tamen exemplum dat, eique operationi prælucet, venas ſponte aperiens, humorumque luxuriem per hæmorrhagias & hæmorrhoïdas interdum exonerans. Hunc Medici motum Naturæ imitati, non Hippopotamum cæſuris harundinum & acutis ſtipitibus corpus deplentem, ſecandæ venæ diſciplinam introduxerunt. Purgantia inſuper medicamenta propinamus, rhabarbarum, ſenam, agaricum, & alia id genus, quod ipſum nec tentat vis noſtri opifex; verumtamen viam rationi oſtendit corpus purgandi, dum ſpontaneis alvi perturbationibus ſentinam corporis expurgat. At nullum exemplum reperies Naturæ ſuccum citra coctionum antecedentium vices in venas admittentis: quod faciunt, qui ſanguinem ab uno animali in aliud transfundunt. Non igitur Naturæ inſtituto affinis iſtiuſmodi operatio, ſed prorſus diverſa & inimica.

Tranſeamus jam ad tertiam rationem à cauſis morborum & communi medendi methodo deſumptam, quam in eo totam verſari autumant, ut ſanguinis labes venâ ſectâ minuatur, intemperies potionibus certis emendetur. Quò quidem loco & egregiam habemus vitioſæ Medicorum conſuetudinis cenſuram, qui dum corruptos humores venis exturbare ſtudent, frequentibus illis venarum ſectionibus vires proſternant: dumque eorumdem fervoribus ſubvenire contendunt, potiones quibus ad eum finem utuntur, ventriculi atque inteſtinorum ſordibus contaminent, aut eas partes talium potionum fermentis & qualitatibus labefactent. Hæc Vir ille novæ opis monſtrator, veteris impugnator, ſatis argutulè quidem diſputat; ſed, ut quod res eſt, dicam, parum medicè. Spero autem hunc non ægrè laturum, ſi quâ libertate ipſe Medicinam haud amplexus, ut ejus ſcriptum fidem facit, Medicorum peccata caſtigat, eâdem libertate nos qui eam artem didicimus & profitemur, ipſi ſuos errores in iis quæ ad Medicinam pertinent, demonſtraverimus.

Primum illud quis conceſſerit maximam morborum partem ex ſanguinis ſolâ intemperie aut corruptelâ manare? Quid? plenitudo & redundantia humorum, quam Græci Magiſtri πληθώραν vocant, minùs multos morbos invehit? Quæ cùm ſit duplex, una πρὸς ἀγγεῖα, cùm venæ ſanguinis copiâ tenduntur; altera πρὸς τὴν δύναμιν, cùm ſanguis tametſi non ita copioſus ut venas diſtendat, tamen naturæ feſſæ eſt oneri, ut in cunctis propè febribus accidit, meritò à Medicis communior morborum cauſa & fomes unà

cum

cum cacochymiâ cenſetur. Id cùm apud omnes in confeſſo ſit, ſcire pervelim poſtea, quid adversùs tam ſolemnem ægritudinum cauſam transfuſio ſanguinis ſubſidii afferat, quæ quantum ſanguinis detrahit, tantum infundit? ſcilicet quem proprius ſanguis gravat, ei agninus aut vitulinus oneri non erit? Et humorum pravitatem quo pacto hæc eadem ſanguinis transfuſio emendare poteſt? nempe quòd in locum corrupti bonum & laudabilem ex alieno fundo ſubſtituunt. Id quidem eorum conſilium eſt; ſed ignorare videntur, morboſam cacochymiam non temere accidere niſi ſubſit intemperies & κακοπεψία ventriculi, jocinoris, lienis, atque aliarum partium quæ coquendis alimentis, humorumque ſuperfluis expurgandis ex officio incumbunt. Hâc permanente viſcerum pravâ affectione, quàm ſit vanus circa ſuccos venis contentos labor, nemo non videt: quippe quantum vitioſi humoris ſubductum fuerit, tantum novæ impuritatis è corporis barathro ſubinde in venas ſuccedat, neceſſe eſt. Niſi fortè ita affectis cibo omni interdicent, contenti bonum ſanguinem venis infundere. Miſerum interim ventriculum eſuriales ferias agere jubebunt, dentibus juſtitium indicent, ne ſi dentibus quod minuant, ſi ventriculo quod concoquat, dederint, nova humorum pravorum ſeges iis quæ detrahuntur, ſuccreſcat. At enimverò vereor ut quamplurimis probis hominibus, qui bene libenter victitant, tam ſevera diſciplina probari poſſit, quin eam plerique omnes, ſat ſcio, ejurabunt, ne dicam, execrabuntur. Et meritò: verè enim illud dixit Lucretius ſtomachi humectum tenorem ſer-

vari oportere; alioqui Regi illi corporis, ut Samonicus eum ſalutat, malè eſt. Dabunt igitur omnino aliquid cibi, ac proinde prædictum incommodum non præteribunt propagandæ impuritatis, quandiu manebit, ut dixi, viſcerum labes. At manebit: non poſſe enim hanc tolli ullâ ſanguinis transfuſione palam eſt. Quòd ſi nihilo ſecius purgantibus medicamentis ſe ſe uſuros ſpondent, quo ventriculi & primæ regionis lues tollatur; tunc quæro, cùm vis & operatio medicamentorum pravis illis humoribus qui ſanguinem conſpurcant, educendis ſufficiat, quid opus præterea ſit novi ſanguinis transfuſione homines & beſtias vexare?

Denique non vident bonum ſanguinem quem infundunt, pravi illius qui in venis eſt, mixturâ neceſſariò corrumpendum? Quis enim humor alterius diſſimilis contagio non alienatur? Ecce quantūlum fermenti totam maſſam corrumpit? Quantulâ coaguli portione integra lactis mulctralia coagmentantur. Audiant inſuper Hippocratem in Aphoriſmis vociferantem: Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων ὁκόσον ἂν θρέψῃς μᾶλλον βλάψῃς. *Impura corpora quò plùs nutriveris, eò magis læſeris.* Cujus ſententiæ hanc rationem reddit Galenus in Commentario: συνδιαφθείρεται γὰρ ἡ ἐπεισιοῦσα τροφὴ τῇ προϋπαρχούσῃ κατὰ τὸ σῶμα κακοχυμίᾳ, ὥστ' αὐξάνεσθαι μὲν αὐτῆς τὴν ποσότητα, φυλάττεσθαι δὲ τὴν ποιότητα. *Mali ſiquidem ſucci in corpore priùs collecti conſortio vitiatur novum accedens alimentum, quò fit ut cacochymiæ quantitas augeatur, & retineatur qualitas.*

Aphor. 10. ſect. 2.

Hoc loco interrogatio eſt Viri illius ſtudioſi. *Si* (inquit) *ſanguinis laudabilis admiſtio temperiem priori ſan-*

guini afferre non poteſt, velim mihi alium, quo id fiat, modum indicari. At multò juſtiorem ipſe nobis quæſtionis materiam præbet, quâ tandem conjecturâ adductus, cruore pecudis ad corrigendam ſanguinis intemperiem, potionum refrigerantium uſum ſuppleri poſſe putet. Quis hoc credat, ſanguinem ex arteriâ animalis calentem, immo ferventem, ſtatim in alterius venas tranſmiſſum quicquam interno incendio moderaminis afferre poſſe? Non me hercule ipſius Elephanti ſanguis, quem frigidiſſimum eſſe, ob idque æſtu torrente à Draconibus expeti proditum eſt, id præſtare queat. Plin. lib. 8. cap. 12. Non nego quorumdam animalium ſanguinem eſſe calidiorem quàm aliorum; putà Leonis quàm Cervi aut Damæ: illud nego in transfuſione de quâ agitur, ullius animalis ſanguinem eſſe ejuſmodi, ut alterius ſanguini permiſtus moderando ejus calori effatu dignum momentum afferre poſſit. Immo addet calori per ſpiritus quibus turget, & materiam novam tanquam oleum flammæ, adjiciet. Quæ cùm ſint ejuſmodi, ut niſi ab imperitis immo à ſtolidis negari non poſſint; quæſo, cui fructui erit illa ſanguinis transfuſio? & quo pacto morbis medebitur, ſi humorum neque luxuriem, neque pravitatem emendare poteſt? Aut quomodo eadem Medicis venam ſæpius ſecantibus ſatisfacit, ſi in ſanguinis emiſſi locum novus illico ſubſtituitur? An quicquam ad rem pertinet quòd vena aperitur, ſi nihil ob eam cauſam de ſummâ humorum decedit, & ſolùm humores permutantur, humanus ſanguis pecuino. Ceu ſi quis hominem injuſto onere feſſum levare aggreſſus, tritico v. g. quod geſtabat, humeris ejus ablato,

parem alterius frugis aut leguminis menſuram continuò imponat.

Eò igitur res redit, ut viribus aut per hæmorrhagias inſanabiles exhauſtis, aut quâ aliâ causâ attritis, refocillandis neceſſaria ſanguinis transfuſio credatur. Quam idem ille auctor deinceps utilitatem proponit, negatque dubitari poſſe, quin ſanguine dulci & probo adſcito alii hominum ab extremis periculis ſervari, aliorum etiam vita prorogari poſſit. Ego contra inanem hanc ſpem &, quod dicitur, συκίνην ἐπικουρείαν contendo. Nam quod ad ſanguinis profluvia attinet, quandiu illa non cohibentur, quantumvis ſanguinis venis infunde, nihilo magis proficies, quàm ſi liquorem in vas pertuſum infundas: tantumque abeſt ut malum hac ratione ſedari poſſit, ut potiùs addito humore impetum & calcar fluori addatur. Vix etiam adducor ut credam tali auxilio penuriâ ſanguinis & ſpiritûs vitalis deficientibus vigorem novum incuti poſſe. Nam aut eorum vires ita afflictæ, ut nec coquendis alimentis ſufficiant, quo caſu nec ſanguinem venis infuſum ferent, ſed ejus potiùs ſarcinâ magis ac magis prementur. Vt in plethorâ, quæ ad vires dicitur; vel non ita languidus eorum calor, quin alimenta idonea coquere poſſit: & tunc ſatiùs fore contendo, eos juſculis & alio victu ad inſtaurandas vires apto reficere, quàm ſanguine alieno venas eorum opplere.

Quæ autem experimenta adducit, ea non ſunt ejuſmodi, ut quemquam paulò perſpicaciorem morari debeant. Adoleſcens à longâ & pertinaci febre convaleſcens, ex ſæpius repetitâ venæ ſectione ſegnis, ſomno-

lentus, veternoſus, novem ſanguinis agnini unciis in venas infuſis priſtinum vigorem atque alacritatem recepit. Credat Iudæus Apella, non ego. Nam cùm priùs eidem tres ſanguinis picei & ſpiſſiſſimi uncias narret eductas fuiſſe; quis dubitet ei vacuationi ac motui potiùs, quàm novi ſanguinis transfuſioni ſequentem illam vigoris exſuſcitationem eſſe tribuendam. Præterea nihil iſtud exemplum ad morborum curationem, cùm iſte adoleſcens nullo tum morbo laboraret. De altero experimento cùm homo ille robuſtus, vegetus, nec lecto, nec cubiculo ſe continuerit poſt operationem, ſed in unctam popinam profectus, quæſitam transfuſione pecuniam cauponi transfuderit, ſibi autem meri non mediocrem copiam ingurgitaverit, ſi poſtea ſellas portando jumenta provocavit; non video cur operam tam laborioſam toto die continuatam, transfuſioni potiùs, quàm nativo hominis robori & θωρήξει adſcribendam putemus. Scio alias promitti obſervationes; ſed non ſit mihi veriſimile, quam rem tam palam damnet ratio, eam ullâ idoneâ experientiâ confirmari poſſe. Non eſt Natura ſui diſſimilis, neque ſibi adverſatur. Hanc igitur cùm leges providentiæ ſuæ nobis oſtenderit ab iſtiuſmodi operatione planè diverſas, putamus poſtea quicquam facere poſſe quo oblatum nobis ab ipſa lumen extinguatur?

Sed antequam hinc diſcedo, illud quoque perpendi velim, quare datâ ſanguinis transfuſione, non potiùs humanum ſanguinem ad eam operam eligunt, quàm pecuinum: magis quippe familiarem nobis & ſalubrem eſſe oportet è corpore ejuſdem ſpeciei ſumptum. Certè

ſuillum ſumerent, quem humano eſſe proximum teſtatur Galenus. Nimirum nefas ducunt uni homini vitam alterius damno prorogari. Sed miſſâ hâc ratione quæ veriſſima eſt, ut morali & politicâ, aliam inanem & frigidam comminiſcuntur, minùs ſincerum eſſe humanum ſanguinem belluino. Quid ita? quia curis & variis affectibus agitatur homo, qui ſanguinem turbant; proinde ut intemperantia in victu, cui homo magis deditus quàm belluæ. At nunquam mihi perſuadebunt, in toto genere humano non dari probum & abſolutum ſanguinem. Quid pueri & adoleſcentuli vegeto & ſano corpore, lætis moribus, quales multi reperiuntur, bonum ſanguinem non habent? non habent mulieres juvenculæ? Denique non modis omnibus opportunior homini ſanguis hominis, quàm belluæ? Cur igitur infantuli potiùs lacte muliebri ſuſtentantur, quàm pecuino? Cur Natura mammas lactis fœcundas fœtis mulieribus dedit? Cur Medici lac maternum tantis laudibus efferunt, nullumque ſalubrius putant, ſi nullus bonus ſanguis in ſpecie humanâ? At curæ & ſolicitudines ſanguinem turbant. Quid tum poſtea? An non ubique homines ignavi & ſocordes occurrunt, qui, ut Salluſtii verbis utar, vitam ſilentio tranſigunt, veluti inertia pecora, quæ Natura prona & ventri obedientia finxit? Horum cur deterior ſanguis quàm pecudum cenſeri debeat, equidem non diſpicio. Iam verò ipſam pecudem, quam ægris ſuis admovent, lacerato crure, nudatâque arteriâ & vulneratâ, nullo metu percelli putant? An non contrà in maximo eſſe metu neceſſe eſt, inter ſacrum, quod di-

 346

citur, & saxum positam, & sanguinem fundentem? Si igitur metu violatur in homine sanguinis bona temperies, non aberit pecuinus quin eâdem ratione corrumpatur. Proinde cùm nullum sit in eo sanguinis belluini ab humano discrimen, non est dubium, quin semel receptâ sanguinis transfusione, omnes spretâ inani tergiversatione ab hominibus potiùs quàm à belluis sanguinem petant: tametsi inhumanum id videtur. Quid enim vitæ cupiditas sanctum habet, ubi de remedio constat? Igitur homines inter se vulgò sanguinem transfundent, & venalis prostabit tenuiorum hominum velut olim gladiatorum sanguis, quem divites emant. Aderit Medicus redemptor, & manceps sanguinis alieni: quâ nundinatione haud scio an quicquam deformius, Christianoque nomine indignius fingi possit. Quantùm enim hoc abest à balneis sanguine humano temperatis, quibus Ægypti Reges popularem lepram detergebant? Quantùm ab ea feritate, quam Plinius tantopere execratur? *Propinant*, inquit, *sanguinem gladiatorum comitialibus morbis, ex homine ipso sorberi efficacissimum putant, calidum spirantemque & unà ipsam animam ex osculo vulnerum, cùm plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas sit humana.* Cujus etiam obscœnitatis inter monstra morum Romanorum meminit Tertulianus in Apolog. *Hodie istic Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus, & suis datus signatis.* Item: *Illi qui munere in arenâ noxiorum jugulatorum sanguinem recentem de jugulo decurrentem exceptum, avidâ siti comitiali morbo medentes auferunt.* Cornelius item Celsus de hoc ipso remedio verba faciens: *Quidam*, inquit, *jugulati*

Lib.28.c.1.

Lib.3.c.23.

gladiatoris calido sanguine epoto, tali morbo se se liberarunt; apud quos miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecit.

Ex quibus intelligitur Medicinam quæ fit sanguine humano, incivilem, impuram, impiam, homine liberali indignam semper habitam fuisse. Nisi fortè propudiosam Xenocratis Medici diligentiam imitandam putamus, quem singularium corporis humani partium sapores periclitatum tèstatur Galenus, ex quibus remedia proposuit in libris de percipiendâ ab animalibus utilitate. De quo ipso in hunc modum prodit Plinius suppresso nomine: *Non pauci apud Græcos singulorum viscerum membrorumque etiam sapores dixere, omnia persecuti usque ad resegmina unguium* O spurcitatem Medico, immo homine indignam! Sic Langium memini in epistolis tetram Chirurgorum sui temporis inscitiam increpare, qui si sanguinem sectâ venâ in vase flatuosi spiritûs, ut fit, nisu contremiscere viderent, eum repente priùs quàm tepesceret, patientes absorbere cogebant; credo, opinati animam esse istius motionis causam. Sic Amatum Lusitanum Arnaldo succensere, quòd in emplastro sive ceroto *de pelle arietinâ ad crepatos*, ut vocant, conscripto, sanguinem hominis rufi admisceri jubet. Quid si sanguinem humanum ab uno in alium transfundi audisset? At enimverò vereor ne majora inde monstra sequantur. Cujus enim venas sanguine alterius hominis repleri fas est, cur is non possit vesci etiam humanis carnibus non video. Quid enim interest sanguine quis, an carne utatur? Ita à transfusione sanguinis rectà itur ad ἀνθρωποφαγίαν. Facessant igitur istiusmodi medelarum propudia, & Barbaris

Lib. 10. Simpl.

Cit. loco.

Epistol. 8. lib. 1.

Comment in 2. Diosc. cap. de sanguine.

novi

Orbis habitatoribus, vel etiam feris relinquantur. Plinii ſingularis prudentiæ auctoris gravem in talia remediorum monſtra cenſuram pectori infixam habeamus: *Vitam quidem non adeò expetendam cenſemus, ut quoquo modo trahenda ſit. Quiſquis es talis æquè moriere, etiam cùm obſcœnus vixeris aut nefandus.*

Hæc ferme erant (vir optime) quæ illi inauditæ curandorum morborum rationi opponerem è Philoſophiæ & Medicinæ adytis deprompta. Tu autem qui à me pæne invito hanc Diſſertationem extorſiſti, penes te habe mei obſequii monumentum; & ſi quid huic boni ineſt, fruere. Cæterùm ſi ejus editione (quod Dii avertant) homines ſuo invento tumidos in me concitaveris, &, quod dicitur, irritaveris crabrones, ſcito viciſſim tui officii fore, me aliis occupatum, nec reſponſurum ab eorum inſultibus tutum præſtare.

FINIS.